

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6986

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Alexandre III [pape]

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1170

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre de Henri II au pape Alexandre III, pour se plaindre de l'archevêque de Cantorbéry.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCCII, t. 1, p. 450-451.

## Dissertation critique

Datation proposée par DELISLE/BERGER.

Texte établi d'après a

Venerabili patri summoque pontifici Alexandro Henricus, rex Anglie, dux Normannie et Aquitanie, et comes Andegavie, salutem et debitam venerationem.

Si devotionis mee, pater, erga sanctitatem vestram experimentum queritis, et que in vestre promotionis initio ad honorem vestrum fideliter a me gesta sunt, elapsa forsitan a memoria, non tenetis, id saltem, quod mandato vestro a me nuper effectu completum est, precor ut pre oculis habeatis, et devotionem meam erga vos ex ipsa mei operis attentione plenissime, si placet, advertere cognoscatis. Hostem enim mihi infestissimum, in meum et meorum, quod absit, exterminium tota sua possibilitate promptissimum, sedentem mihi semper in insidiis ut machinetur in me malum, cui convivere, ut presens indicat casus, mors mihi est, in regno cohabitare confusio, hunc, mandato vestro, vestris me totum substernens pedibus, in pace suscepi, et de latere meo ducatum sibi providens, ut cum pace deduceretur ad propria sollicite procuravi. Que nimurum pax non solum sibi, sed et suis plene concessa est, et homines qui meas jamdiu carnes amaris, ut sic dicam, morsibus lacerare non destiterunt, qui per orbem discurrentes sinistri adversum me mundum rumoribus impleverunt, in regno meo cum pace suscepi, sollicite providens ne lederentur ab his quos lesерant, ne ab his quos offenderant aliquid omnino molest[i]e sustinerent. Oportebat itaque sanctitatem vestram, pater, et mihi prospexit, ne malum mihi pro bono redderetur, ne in ejus adventu cui pacem dederam, et quem cum pace suscepseram, regni mei pax illico turbaretur, et ecclesia regni, que nihil tale meruerat, absque audientia ad falsas ejus suggestiones tanti mole gravaminis opprimeretur, ut quidam suspensioni, quidam anathemati subjecti sint, cum si defensionis sibi detur opportunitas, se nil tale meruisse, juvante Domino, per omnia probare parati sint. Unde sanctitati vestre devotus supplico ut si que sunt, aut esse possunt, erga me pristine caritatis reliquie, sententiam regni mei personis impositam, amore justitie meeque petitionis intuitu, relaxetis, et si quis adversus eas querelam super quacumque re moverit, causam aut per vos aut per quos vestre discretioni

placuerit examinetis, ut in jure pro se quisque respondeat, et judiciale calculum, quem meruisse convincetur, excipiat. Hoc alii non negaretis. Quod si mihi negatum fuerit, dicam quod doleo, quia nimia me severitate repellitis, et abjectum reputatis. Cetera presentium latori magistro David, quem mihi commendavit gratia, vobis intimanda commisi ; quem si mihi compatiendo exaudieritis, corpus meum vobis, et animam, quam jam periclitari metuo, Deo conservare poteritis. Valeat et suis exorabilem se prebeat sanctitas vestra, pater.